

/ Illustrissime. ac Reverendissime Antistes. ¹⁸³⁶

Gravi timore affectus, et summa ductus necessitate; sed et maxima animi oblectatione recreatus, opusculum hoc Tibi offero. Formidine capior, qui Theologicam hanc Disputationem Viro, rei Theologicae ⁵consultissimo, atque Theologiarum difficultatum arbitro, imo iudici, ingenio, eruditione, experientia summo, ac summopere suscipiendo, exhibeo. Necessitas mirum in modum me extimulat, qui opus edo, cui quidem innumeri, non tam suis literariis (si quas habebunt) quàm familiaribus aliis rationibus, fortasse reclamabunt, et mordicus repugnabunt: idcirco mihi singulare praesidium exquirendum. Animum reparat animi Tui celebrata, omnibusque aperta christiana charitas, et ea, quae me ad haec paucula scribenda impulit, occasio; quae sola, et vera est salutis animarum cupiditas. Illa molestiam, ex hujusce doctrinae paupertate, levabis: hac vero ausum nostrum ¹⁵benigne, obsecro, condonare digneris. Breviter, et carptim, dedita opera, ex gravissimorum Theologorum placitis, haec à me scripta; quoniam majori ex parte cum imperitis res est: qui utinam summis hisce Doctoribus intenti, et his paucis contenti. Excipias, Vir incomparabilis, hanc editiunculam; et vel probatam publice divagari, ²⁰vel rejectam in tenebris delitescere, praecipias. Si vero haec nostra sit, in re tanta, ut opinor, vera sententia, eandem studio, et patrocinio prosequi, ne graveris: id enim religiosae charitati, ac salutis animarum zelo optime respondebit. Interim oro, ut Celsitudinem Tuam bene valentem, et ad coelestia anhelantem nobis diu servet ²⁵Jesus Christus incolumem.

Dat. Bononiae ex aedibus Augustinianis. Idibus Martii MDCXVII.

Illustriss. ac Reverendiss. Dom. Tuae

Humillimus in Christo servulus

F. Paulus Fraxinellus.